

2156.

1318 d. 16 Juli.

Tönsberg.

Påflige Nuntien, Kaniken NILS SIGVASTSSON utfärdar genom Notarien Arnvid Johansson af Forsby, för Årkebiskopen Elof i Throndhjem, en officiel afskrift af Páfven Johannes XXII:s föregående Bulla, N:o 2090.

Afskr. i K. Geh. Archivet i Köpenhamn *).

In nomine Domini Amen. Anno ejusdem M^o.CCC^o.XVIII^o die XVI mensis Julii indictione prima Pontificatus Domini Johannis Pape XXII Anno secundo, in presencia mei Notarii publici et testium subscriptorum Venerabilis Vir et discretus, Magister NICHOLAWVUS(!) SIGVASTI Canonicus Uppsalensis, sanctissimi Patris Domini nostri, Summi Pontificis predicti, ad partes regni Svecie nuncius deputatus, constitutus personaliter in monasterio fratrum Premonstratensis ordinis, Tunsbergis, regni Norvegie, Dyocesis Asloensis, Venerabili in Christo Patri et Domino, Domino Elauo, Dei gracia Archiepiscopo Nidrosiensi, quasdam litteras Apostolicas, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte viciatas, sed omni suspicione carentes, sub vera ipsius bulla in filo canapis bullatas, presentavit, tenoris et continencie infrascripte. JOHANNES Episcopus servus servorum Dei &c. *lika med föreg. N:o 2090.* Actum et datum Anno, die et loco supradictis, presentibus venerabilibus in Christo Patribus, Dominis Helghone Osloensi, Audfinno Bergensi, Haquino Stauangrensi, Dei gracia Episcopis, ac Reverendo Viro Domino Austano Abbate loci et ordinis Predicatorum [p: predictorum], nec non venerabilibus et discretis viris Dominis Finnone Magistro Capellarum Regis Norvegie et Juaro ejusdem Regis Cancellario, et aliis pluribus fide dignis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Arnvidus Johannis de Forsby Publicus Auctoritate Apostolica Notarius, dicte presentacioni, Anno, Die et loco supradictis facte, presens cum testibus predictis interfui, ac ipsas litteras vidi et publice legi, et de mandato Domini mei Magistri Nicholai, nuncii supradicti, manu propria excopiavi et in hanc formam publicam redeggi, signumque meum consvetum *) una cum sigillis Venerabilium in Christo Patrum Dominorum H. Osloensis. A. Bergensis et H. Stauangrensis Dei gracia Episcoporum predictorum, nec non et Magistri Nicholai supradicti apposui rogatus.

*) Påtecknad med Langebeks hand: "Mss. Barthol. T. E. p. 671 ex Registro Bergensi membr." — Benäget meddelad af Hr Professor N. M. Petersen.

**) Se anteckningen vid N. 2142.